



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

53. Quid hac in re dicendum de Conversis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Commendatario ordinis S. Jacobi Calatrava & Alacantara, & similibus admitti non possunt ad beneficia facularia, cum sint religiosi, & Canonico- rum S. Augustini Regulam teneant; Et quæ habet idem Garc. p. 1. c. 4. à nu. 21. ubi: quidquid sit de hoc, an sint verè religiosi, an solum largo modo (quod secundum rectius dicitur) sunt tamen personæ Ecclesiastica, & ad effectum, ut non possint habere beneficia facularia, cenferi regulares, ut constat ex constitut. 71. Pii V.) secus est de Equitibus S. Joannis seu Melitenibus, utpote qui professionem religiosam emittunt, & sunt propriè religiosi. Barb. loc. cit. Castrop. loc. cit. nu. 2. citans Sanch. l. 7. in decal. c. 29. n. 4.

3. Dixi secundò: per professionem expressam vel tacitam; circa quod obiter hic observandum primò: professionem tacitam illam dici, quæ inferitur per conjecturas & signa extrinseca. Lott. l. 3. q. 26. n. 38. & fieri censetur per actum aliquem professis proprium, v. g. per præsentiam in Capitulo & actibus Capitularibus, & ferendo suffragium; ac præcipuè per gestationem habitus professorum distincti ab habitu non professorum (non distinctione aliquâ latente, puta, ex benedictione, sed patente ex colore, vel scissurâ, aliâve extrinseca formâ. Lott. n. 42.) scienter suscepti (intellige solenniter de manu habentis potestatem. Lott. n. 39, citans Decian. cons. 18. nu. 11. l. 3. Gratian. discept. for. c. 49. n. 37. item sciente Capitulo; si enim aliàs novitius exacto probationis anno continuaret in gestatione habitus professorum, etiam distincti, non sciente vel consentiente Capitulo, non induceretur tacita professio; eò quòd non sufficiat ad hoc, quòd ingressus religionem declaret factò aliquo se profiteri; sed exigitur simultanea acceptio Superioris & Conventus. Lott. n. 47. citans Menoch. lib. 6. presump. 83. n. 15. Azor. p. 1. l. 12. c. 5. q. 3.) & delati ad dies aliquot; hoc enim ipso fit tacitè professus & religioni obligatus, vide Engels ad. rit. de regular. n. 25. dum de cetero per habitus, quem novitii soli gestare solent, gestationem, etiam ad viginti annos non induceretur professio tacita. Lott. n. 43. ex Abb. in c. ex parte. de regular. n. 3. Secundò: hanc tacitam professionem per Trid. sess. 25. de regular. c. 15. nec alibi sublatam esse. Lott. loc. cit. nu. 40. Engels loc. cit. Garc. p. 11. c. 9. nu. 8. juxta declarationem sacræ Congreg. modò tamen servetur forma & modus à Trid. loc. cit. præscriptus; ut scilicet actus ille, per quem inducitur hæc tacita professio, fiat liberè, scienter, cum intentione profitendi post annum 16. ætatis, & tempus novitatus absolutum à religione acceptetur & c. Engels & Garc. ll. cit. Miranda in Manual. Prælat. tom. 1. q. 24. n. 12. Barb. ad cit. c. 15. Trid. Porò his non obstantibus, si dispensetur cum novitio, inducenda aliàs per professionem vacatio impeditur, etiam securâ professione, sive hæc dispensatio fiat per modum commendæ per Papam, sive aliter, ut non ipse religiosus, sed monasterium ex ejus persona fruatur beneficio, ut Staph. de lit. grat. rit. de var. mod. var. modo. 6. n. 4. Lott. cit. q. 26. n. 14.

Quæstio 51. Num professione existente nullâ, vacant adhuc beneficia, sicut dictum de matrimonio nulliter contracto?

Respondeo negativè; sed declaratâ professione nullâ reperere, seu adire potest suum beneficium: sive hæc nullitas proveniat ex defectu

ætatis, sive ex defectu vel interpolatione Novitatus, vel aliunde. Lott. cit. q. 26. n. 32. disparitas videtur ex eo erui, quòd ut dictum, beneficiatus contrahens matrimonium deserat electionem status melioris, ob quod punitur dictâ privatione beneficii; in præsentem autem assumitur vel attenuatur status melior, ob quod nemo privandus.

Quæstio 52. An etiam citra emissam professionem per ingressum religionis (prou contingit in Societate Iesu, ubi vota emissâ post biennium Novitatus simplicia constituunt verè religiosum, speciali jure, seu pontifice sic statuente; adeoque ibi ingressus in religionem distinguitur ab emissione professionis, per quam aliàs in aliis ordinibus ingreditur quis religionem) vacent beneficia præhabita?

Respondeo: per dictum ingressum religionis in Societate non vacant ipso jure habita aliàs tempore novitatus beneficia, nec pensiones, sed has & illa validè & licitè retinere possunt, tametsi non possint de illis, eorumque fructibus sine consensu Superioris sui, saltem licitè, disponere; quia per dicta vota non privantur dominio. Castrop. loc. cit. n. 7. Barb. juris Eccl. l. 3. r. 14. n. 5. Sanch. in Decalog. l. 7. c. 29. num. 10. Veruntamen ex præscripto ipsius Societatis, nimirum can. 5. congreg. 3. generalis. antequam dicta vota simplicia emittantur, seu ante ingressum in societatem beneficia quæcung; Ecclesiastica habita resignare debent, non obstantes Can. congreg. primæ. quo cautum aliàs erat, ne hostri, qui tempore novitatus haberent beneficia, cogerentur ea relinquere ante professionem, nisi jubente Generali, Commissario, vel Provinciali post annum primum probationis. Atque ita modò post expletum Novitatum vacant eorum beneficia non aliunde, quàm vi dictæ resignationis factæ. Castrop. loc. cit. Sanch. loc. cit. n. 7. de cetero per professionem solennem, uti & per vota Coadjutorum (utpote per quæ redduntur omnino incapaces bona vel jura acquirenda & retinendi) vacant ipso jure beneficia ab iis habita in sæculo. Barb. loc. cit. n. 4. Castrop. cit. n. 7.

Quæstio 53. Quid hac in re dicendum de Conversis?

Respondeo primò: supponendo juxta c. ut lex. 27. q. 1. duplex esse genus Conversorum, videlicet professorum, & non professorum. Lott. l. 3. q. 26. n. 21. Conversus professor dicitur, qui ingressus monasterium vel Ecclesiam regularem non simpliciter tantum obedientiam, sed formaliter emittit obedientiam monachalem, æquipollentem professioni, qualis dicitur ea juxta Archid. in cit. c. ut lex. ubi quis abnegat propriam voluntatem, & deinceps eam (intellige plenè, & in omnibus, & in perpetuum) subijcit voluntati Superioris regularis. Lott. loc. cit. à nu. 19. Conversus non professus est, qui solum ingressus monasterium assumpsit habitum, & simpliciter obedientiam promittit citra formalem illam emissionem obedientiæ monachalis. Inferitur ex iis, quæ habet Lott. loc. cit. n. 18. quem in finem notanda, quæ habet Lott. ibid. à n. 15. ex Gemin. in c. beneficium. de regular. in 6. n. 5. ubi: quòd valde inter se differant hæc duo; ingredi monasterium, & ingredi religionem; ac proinde ex uno ad aliud male inferri; ingressus enim monasterium conficitur per

per assumptionem habitus; ingressus in religionem non nisi per professionem, seu emissionem 3. votorum substantialium solennium, intellige, extra societatem Jesu. hoc supposito,

2. Respondeo secundo: Conversum professum hoc ipso amittere per talem professionem beneficium; Conversi verò non professi beneficia, si quæ habet, non videri eo ipso per talem ingressum amitti, pari ferè ratione, quâ paulo post dicitur de Novitio; licet enim Conversus, ut ait Lott. *loc. cit. n. 18.* per transitum ad Ecclesiam regularem intelligatur vovisse, & renunciare propriis, ut *gl. in cit. c. ut lex.* possitque videri transivisse ad statum incompatibilem cum beneficio; id tamen non intelligendum, nisi quando secuta esset formaliter emissa illa obedientia monachalis, æquipollens professioni, ac si evaderet Conversus professus.

Quæstio 54. An vacent beneficia per ingressum monasterii, seu per Novitiatum, præcipuè, si is ultra tempus consuetum produceretur?

Respondeo ad primum negativè: seu novitium retinere sua beneficia. *Castrop. loc. cit. n. 3. Lott. cit. q. 26. à nu. 10. & n. 24.* cum communi, constat expresse ex *cit. c. beneficium, de regular.* siquidem ante professionem expressam seu verbalem, vel tacitam non potest prætendi status ille incompatibilis impressus; cum novitius (ut cum *gl. in cit. c. beneficium. v. conferre* inquit *Nav. conf. 4. de Sacramentis non iterand. Sayr. in floribus, decis. 14.*) teneat medium quandam statum inter secularem & religiosum, & sit quasi dubius de statu suo futuro. *Lott. n. 10. & 11.* adedque non tantum retinet suum beneficium, sed etiam est capax aliorum, siquæ illi conferantur. *Lott. nu. 13.* de quo postremo actum à nobis alibi. Unde etiam, sicut ingressus monasterium, receptusque ad habitum, si quidquam conferat, donetque monasterio, & mox ad seculum regrediatur, omnia donata habet ut prius, resoluta donatione, etiam citra aliquod pactum. *Lott. n. 23. citans Nattam. conf. 180. n. 5. Dec. conf. 56. nu. 5. Rodriq. de regular. tom. 2. q. 48. a. 12. & c.* ita etiam remanet cum suis beneficiis, etiam si ea resignavit spontè, sub iis nempe circumstantiis, de quibus *c. beneficium.* & sub ea forma & tempore, quæ præscriptæ *Trid. sess. 25. c. 16. de regular.* dicitur enim ibi; quod ea resignatio fortitura non sit effectum, nisi secuta professione, adeoque suspensa manet executio, donec facta sit professio, tamen si, facta professione non dicatur in eo casu vacare beneficium per professionem, sed per factam resignationem ante professionem. *Lott. n. 25.* Verum an & qualiter ingressus, vel ingressurus monasterium resignare possit, de hoc infra.

Quæstio 55. An vacent si novitiatum produceretur ultra consuetum tempus?

Respondeo: dum absoluto consueto Novitiatu tempore is prorogaretur, non censetur adhuc vacare novitii beneficium; tum quia prorogatio Novitiatu fit cum qualitatibus sibi propriis: tum quia facta hæc prorogatione, liberum est Novitio ad seculum redire; si autem tempore illius prorogationis amitteret beneficia, per hoc diminueretur illa libertas. *Castrop. cit. nu. 3. citans Sanch. in Decalog. l. 7. c. 4. n. 6. Mandos, in casibus Annalibus, n. 63. c. 192.* proceditque id ipsum non so-

lum, ubi ex iusta causâ prorogaretur Novitiatu, v. g. dum ei, qui anno 14. ætatis ingressus Novitiatum absolvendum intra annum Novitiatu prorogatur ad annum 16. quia ante hunc nequit emitte- re professionem juxta *Trid.* non vacant illius beneficia secundo illo anno prorogati Novitiatu. *Castrop. cit. n. 3. citans Sanch. ubi ante. & Lancelot. instit. juris can. l. 1. cit. de regular. §. etsi contigerit.* Verum etiam, ubi absque causâ prorogaretur, & differretur professio; quia solum cautum, ut professione vacent beneficia. *Castrop. loc. cit. n. 4.* qui tamen ait, in hoc casu posse Episcopum, cui beneficium Novitii subijcitur, agere contra novitium tanquam illegitimè absentem, & procedere usque ad beneficii privationem, quod intelligendum de beneficiis residentiam-requiritibus.

Quæstio 56. Ad quem ergo spectent fructus beneficii retenti à Novitio tempore Novitiatu?

Respondeo: fructus perceptibiles ex illo beneficio in absentia, acquiruntur Novitio, utpote qui verè retinet titulum & possessionem beneficii, & is de iis tanquam de bonis propriis disponere potest. *Garc. p. 11. c. 9. nu. 28. Castrop. loc. cit. n. 5. citans Sanch. ubi ante. n. 18. Suar. tom. 3. de relig. l. 5. c. 16. n. 12.* In beneficiis verò iis, quæ fructus non habent in absentia, ut in Canonicatibus & præbendis, quorum fructus residendo lucrifunt, non lucrabitur Novitius interim fructus. *Garc. loc. cit. num. 31.* idem est de distributionibus quotidianis, anniversariis, & similibus personalem residentiam-requiritibus; hæc Novitio non debent concedi; quia non reputatur ut præsens; cum Novitiatu non sit ex causâ à jure expressis, ob quas absens reputari debet pro præsentem, etiam in ordine ad hunc effectum. *Castrop. Suar. Garc. loc. cit.* Porro quid sit circa electionem, & nominationem, quæ etiam sunt fructus beneficii, an vocandus, nec ne sit Novitius ad eas, dictum est *in tr. de elect.* vide *Castrop. loc. cit.*

Quæstio 57. Quid sit circa administrationem beneficii interea temporis?

Respondeo: beneficium novitii, si opus est (hoc est si servitium requirat) tempore probationis administrari debet per Vicarium, congruè illi portione fructuum assignatâ. *Laym. ad c. ex transmissa. de elect. num. 4.* remittens ad seipsum *l. 3. Th. mor. tr. 5. c. 7. q. 5. Garc. p. 11. c. 9. n. 29.* qui etiam *n. 30.* addit, quod si curatum sit beneficium, deberet obtinere licentiam Ordinarii in scriptis, juxta decretum *Trid. sess. 23. c. 1.* & si Ordinarius nollet eam dare, esset appellandum & recurrendum ad Superiorem.

Quæstio 58. Qualiter concipienda supplicatio in impetratione beneficii vacantis ob ingressum religionis, & hæc causa narrata verificanda?

1. Respondeo ad primum: debet narrari ingressus monasterii vel domus regularis, ac insuper addi, talem in ea domo professionem emisisse. *Lott. l. 3. q. 26. n. 29.*

2. Respondeo ad secundum primum: debet emissio professionis verificari coram executore. *Lott. n. 30. juxta decis. Gregor. 382.*

3. Secun-